


Lucas Bacmeister Wolfgang Tripp

Decas Quaestionum controversarum De Angelis

Rostochii: Kilius, [ca. 1646]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738046825>

Druck Freier  Zugang



1643


1644

9. 2. 1646

Part. v

L. Baemeister - W. Frappius.

R. U. theol. 1671. [1646]



D. T. O. M. A.

DECAS

Quæstionum controversarum
DE ANGELIS,

Quam

Permissu Venerandæ Facul-
tatis Theologicæ,

PRÆSIDE

Viro plurimum Reverendô & Clarissimô

DN. M. LUCÆ BACMEISTERO,

S.S. Theologiæ Professore publicô,

In inclita ad Varnum Academiâ

Publico Eruditorum examini subijcit.

AUTOR ET RESPONDENS

WOLFGANGUS TRIPPIUS,

Naumburgo-Thuringus.

In Auditoriô Majori, horis matutinis

Ad diem 2. Octobr.

[1646]


•S(O)•



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr





Σὺν Χρῆστῷ.



Dὲ καὶ πῶς δελεῖται, adhortatio est Apostoli Tharsensis. Quam exhortationem quia & ad nos spectare videmus, suscipere debere nolimus. Ut ergo temporis presentis, quo memoria Michaelis Archangeli in Ecclesia recolitur, simulq; utilissima de Angelis doctrina proponitur, inseruimus, & hac in parte, DEO Triuni Angelorum Creatori & DOMINO, pro fidei celestis illius exercitiis custodia, gratitudinem nostram declararemus: publicam de Angelis Dissertationem instituere placuit.

Rebus in inceptis sis Christe adjutor Jesu.

THES. I.

Angeli verè existunt, veraq; sunt substantia.

I. **P**rima omnium est quaestio, *ei est, an sint Angeli, si enim non essent Angeli, vana & supervacanea de iis esset dissertatio omnis, & qui de iis disputaret, cum larvis & umbris pugnaret.* Ad hoc igitur quaesitum respondeo, quod maxime sint. Quod responsum dilucidabunt adeoq; confirmabunt *Dicta Scripturae evidentissima; Apparitiones Angelorum frequentissima; opera & effecta eorum splendidissima. Dicta 1.* quod attinet, pauca è multis sunt: Dan. 7, 10, Matth. 18, 10. cap. 22, 30. cap. 25, 31. cap. 26, 53. Gal. 3, 19. Ebr. 1, 14. c. 2, 16. 2. Thes. 1, 7, loca ipse vide. 2. *Apparitiones Angelorum vide iterum cum in Veteri, tum Novò Testamento, quae factae sunt Abraham, Gen. 18, 2. Loth, cap. 19, 1. Iakobo, cap. 12, 12. Davidi 2. Schem. 24, 17. Elia, 1. Reg. 19, 6. 2. Reg. 1, 3. Servo Elischahi, 2. Reg. 6, 17. Jeschahia, Jescha 6, 6. Iosepho viro Mariae, Matth. 1, 20. & 2, v. 13. 19. Christo, cap. 4, 11. Luc. 22, 43. Utriq; Mariae, Mart. 28. 2. 5. Marc. 16, 5. Zachariae, Luc. 1, 11. Mariae virgini, vers. 28. Pastoribus, cap. 2, 9. Mariae Magdalena, Joh. 20. 12. Apostolus, Act. 1, 10. & 5, 19. Philippo, 3, 26. &c. 3. *Opera & effecta Angelorum in sacris pandectis recensentur mirabilia & memorabilia, utpote 1. Quod lex per illos ordinata, Gal. 3, 19. Ebr. 2, 2. 2. Strages edita in exercitu Assyriorum, 2. Reg. 19, 35.**

A 2

Jescha.

Jescha. 37, 36. 3. *Liberatio Apostolorum ex carcere*, Act. 5, 19. cap. 12, 7. 8. 9.
4. *Quod in novissimo die collecturi è regnò DEI omnia offendicula & eos qui parrant iniquitatem*, Matth. 13, 41. &c. Ex his omnibus, Angelos verè existere, verasq; esse substantias, cuilibet constare arbitror, nisi qui cerebrum in calcancò gerat.

2. *Errarunt ergo olim Sadducei* (sic dicti à suò Præceptore Saddocò), qui dixerunt, NON esse resurrectionem neq; ANGELUM neq; Spiritum Act. 23, 8. *Errant Anabaptista & Libertini, qui docent non esse peculiare creaturas, quæ vocentur Angeli, sed si quando DEUS exerat suam potentiam ad nocendum vel puniendam, hoc vocari malum Angelum; & contrà bonum appellari, si quando DEUS nos custodiat vel conservet.* Referente B. Chemitio in Locò de Creatione.

THE S. II.

Angeli non fuerunt ab æternò.

1. Quod ita probo. 1. *Æternitas soli DEO assignatur*, hocq; ipso attributò cæteris rebus omnibus ipse ἀντιδιαφέρειται. Psal. 90, 2. Psal. 102, 26. 27. 28. De Angelorum æternitate, ne unicus in universo Codice Biblicò apiculus. 2. *Angeli mentione invisibilium cæteris accensentur creaturis, in tempore à Deò productis, qui etiam ob id Pater Spirituum nuncupatur* Ebr. 12, 9. Vide etiam Psal. 104, 4. Ebr. 1, 7. Col. 1, 16. *Sed querat quòd, si Angeli non fuerunt ab æternò, sed sunt creati, cur Moses ἀγγελων πτώας non facit mentionem? Respondeo*, afferunt plerumq; duas rationes, cur non faciat mentionem. 1. *quia Moses ut Historicus tantum voluit describere creationem rerum visibilium, unde non meminit Angelorum, & obviarum, unde non meminit metallorum, mineralium.* Scripsit enim suam historiam populo Judaico, qui naturâ rudior & doctrinæ rerum spiritualium minùs capax fuit. 2. *quia si creationem Angelorum meminisset, fortasse populo Judaico ad ἀγγελολατρείαν ansam dedisset, qui populus aliàs ad superstitionem & idololatriam plus æquò pronus erat.* Si enim Johannes magnus Apostolus & sanctus vir, humano affectui nimium indulgens, Angelum voluit adorare, quid non cæteris Judæis laicis evenire potuisset. *Et licet Moses in descriptione Mundi non faciat Angelorum mentionem, tamen alibi eorum mentionem inspergit, ut Genes. c. 19. & 31, & alibi. Quia verò descriptio creationis Angelorum non extat in Mose, multa curiosè disputantur, quando sint creati? Quidam putant eos ante hunc Mundum corporeum creatos esse,*

ut

ut *Origenes, Basilium, Nazianzenus*. Sed non potest tolerari hæc opinio, quia Scriptura per spatium antemundanum semper intelligit æternitatem, ut patet ex Psal 90. Proverb. 8 Joh. 1. & aliis Scripturæ locis. Jam verò Angelis non competit æternitas. Alii eos post hunc Mundum corporeum conditos esse autumant, ut *Gennadius & Achacius*. Sed & absurda est hæc sententia, quia Deus in Scripturâ nõ legitur post sexiduum illud aliquid creasse. *Manet ergo* Angelos in uno sex dierum creationis conditos fuisse, sed quo præcisè die, adhuc sub iudice lis est. *Quòd autem* antè genus humanum producti fuerint, colligitur ex Jobò 38. 4. & 7. Unde quidam dicunt eos *primò die* conditos, cum luce, ex eo quòd in sacra pàginâ indigitantur Angeli *lucis* 2. Cor. 11, 14. Alii eorum creationem ad *diem secundum* referunt, & putant eos simul cum cœlò conditos esse, & eodem statim die quosdam ex illis lapsos, cum operi secundæ diei non addatur à Mose hoc elogium, *vidit Deus quòd esset bonum* & c. Alii statuunt eos *tertiò die* creatos, argumentò ductò ex Colof. 1, 16. Cùm enim Angeli sint in cœlò eosdem habitaculò suò constructò & exornatò priores non fuisse censent. *Sed tantum abest* ut ego hic certum quid determinem, ut potiùs in mediò relinquam, & modestè cum B. *Luthero* respondeam: *Non est turpe Theologo, quedam ignorare. Arrogantia autem est, velle videri quòd scias.* Interim manet verissimum, quòd Angeli in creationis *èz αρχης* sint creati, nec sint æterni.

2. *Erravit ergo Aristoteles* extra Ecclesiam, qui Mundum æternum, & per consequens etiam Angelos æternos somniavit. *Erraverunt* & alii in Ecclesiâ viventes, qui Angelis æternitatem affinexerunt; quòd inde conijcere licet, quòd in Conciliò *Lateranensi Magnò*, Confessione Ecclesiæ verba hæc interfert: *Qui suâ omnipotente virtute, simul AB INITIO TEMPORIS, uirumq; de nihilò condidit creaturam, SPIRITUALEM, & corporalem, ANGELICAM, videlicet & mundanam.* Can. I. Vide D. Först. disp. de Angelis.

THES. III.

Angeli non fuerunt Creatores.

1. Quod fulcior tribus argumentis firmissimis. 1. *Solus DEUS est Creator Cæli & Terræ & omnium, quæ in illis sunt.* Ergo non Angeli. De Antecedenti dubitas? en habe clara scripturæ oracula. *Jescha. 44, 29. Ego JEHOVAH facio OMNIA extendo COELOS SOLUS expando terram PER ME IPSUM. Joh. 1, 3. OMNIA PER JPSUM facta sunt, & sine eo factum est NIHIL, quòd factum est. Col. 1, 16. 17. Per illum creat a sunt OMNIA quæ in cælis sunt, & quæ in terrâ & c. OMNIA per illum & in illum creat a sunt,*

sunt, & ipse est ANTE OMNIA, & OMNIA per illum consistunt. Apoc. 4, 11. Tu creasti OMNIA, & propter voluntatem tuam sunt & creata sunt. 2. Ad creationem requiritur potentia ac virtus infinita. At qui Angelorum potentia ac virtus non est infinita. Ergo. Major est *αὐτῶν* ☉. Creatio enim est productio entis ex non ente: inter hoc verò & illud infinita distantia, quæ non nisi infinitâ virtute & potentiâ mutari potest. Unde & Scriptura passim, ex opere Creationis, infinitam Dei potentiam astruit. Jescha. cap. 40, 26. cap. 42, 5. cap. 45, 18. Minor & ipsa certa est ac indubia. Quamquam enim Angelis tribuitur potentia Pl. 103, 20. 2. Thef. 1, 7. 2. Pet. 2, 11. attamen negatur omnipotentia; sicut vel ex hac gnome Apostolicâ abundeliquet: Ebr. 2, 5. Non Angelû subjecti orbem terræ futurum, de quo loquimur. 3. Creaturæ non possunt esse Creatores, Aliàs essentialè discrimen inter Creatorem & creaturas confunderetur. At qui Angeli sunt creaturæ, sicut in præcedenti Quæstione probatum dedi. Ergo. Vide D. Först. l. 6.

2. Errârunt ergo Saturniliani, sic dicti à Saturnilô quodam: itemq; Basilidiani ita denominati à Baslide Saturnili Condiscipulô. De Saturnilianis Epiphanius commemorat, quòd ita docuerint: A supernâ virtute descivisse Angelos, qui Mundum & hominem condi derint, & hominem quidem ideo, ut esset imago lucû superna virtutis, quâ Angeli sapius sed ad momentum tantû irradiarentur: & hos Angelos dixisse, faciamus hominem ad similitudinem, omis sô, nostram: ut non Angelorum sed superna virtutû imago intelligeretur. Tom. II. l. 1. Hæres. 23. De Basilidianû idem Scriptor Ecclesiasticus, citante D. Forst. quòd ipsorû Antesignanus Baslides finxerit: Ex potestatibus & Angelis factum esse primû supremû cælum, deinde etiam Angelos alios. Hos rursus fecisse secundum cælum, & ipsos rursus fecisse alios Angelos, qui tertium cælum creârunt: atq; alios subinde Angelos cælosq; conditos esse, usq; ad 565. cælorum numerum. Ab Angelis proximis nobis cæli, & virtute, quæ in ipso est, factum esse hominem.

THES. IV.

Angeli non sunt Corporei

I. Quod ex hoc uno satis elucescere statuo, Angeli sunt Spiritûs. Pl. 104. 4. Ebr. 1, 14 c. 12. 9. Matth. 8, 16. Luc. 8, 2. Ergo non sunt corporei. Spiritus enim non habet carnem & ossa, teste ipso Salvatore Luc. 24, 39. Adicio ex *πρὸς τοιαύτας*, quòd integra legio Diabolorum in uno homine legitur fuisse Luc. 8, 30. quod certè absq; penetratione corporum fieri nequisset, si Angeli essent *ἐνσωμάτωται*. Sed obijciat quâ, Angeli utiq; sunt Corporei, quia sapius appaernerunt hominibus, quod

quod facere haud potuissent, si non corpora qualiacunq; haberent. *Respondeo*, Angeli sunt naturâ Spiritûs à corpore non dependentes. Quod autem aliquando corpus (sive ex nihilò productum, sive ex elementis, omnipotentia DEI extraordinaria, conflatum) assumpserunt, id factum est *ut* *ὡικροποίησιν*, unde illi corporis istius non fuerunt formæ informantes, sed assistentes. Corpus autem illud oeconomia istâ peractâ vel in nihilum, vel in id unde desumptum, fuit redactum. *Ast pergat quis*, Angeli utiq; sunt corporei, quia leguntur in sacris comedisse, ut Genes. 18, 9 & 19, 3. *Respondeo*, id factum est *vel apparenter*, cum revera non comederent: *vel ex dispensatione & oeconomia formæ assumptæ: vel non* quòd esurirent, sed ut usq; ad tempus revelationis laterent. Quanquam cibus is non materialiter digestus, sed ab angelicâ naturâ flammâ absumptus. Atq; sic etiam, his obstraculis remotis, evici quòd Angeli non sint corporei.

2. *Errant* ergo Patres ij omnes, qui corpora Angelis propria attribuerunt, è Græcis quidem, *Iustinus, Tatianus, Origenes & Macarim*: è Latinis, *Tertullianus, Cyprianus, Augustinus & Bernhardus*, qui de corporeitate Angelorum hunc in modum differit: *Jam quòd & supercælestes Spiritûs opus corporibus habeant: illa maxime certos nos faciat vera & verè divina sententia. Nonne omnes (ait) administratorij Spiritûs sunt: nisi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt saluti? Quonam ergo modo impient ministerium suam absq; corpore: præsertim apud viventes in corpore? Deniq; non est discurrere, nec de locò ad locum transire nisi corporum: quod frequenter Angelos facere tam in dubitata, quàm nota probat autoritas. Hinc est, quòd & visi sunt Patribus: & ad eos intraverunt, & pedes laverunt.* Serm. V. in Cantic. Cantic. *Errant* adhuc hodie quidam factionis Sacramentariae focii, inter quos *Zanchius* scribere non veritus: *Angelos habere corpora, sed tamen præstantioris & sublimioris substantia, quàm sint vel aër, vel cæli, qui è chaos fabricati sunt.*

THE S. V.

Angeli in primitivâ creatione omnes pariter boni à Deo fuerunt conditi.

1. Angelos à Deo creatos esse, Thesi. 2. demonstratum dedi, sed an omnes pariter boni, quis ambigat. Quem ut eximam scrupulum, incumbit mihi probare hac Thesi, quòd omnes pariter boni à Deo sint creati. Confirmo ergo tribus immotis fundamentis. Sit 1. *Quacunq; DELLIS intra sextiduum illud creavit ea omnia & singula valde bona existere, Atqui Angeli*

Angeli etiam in universum omnes, intra sexiduum illud, fuerunt à Deo conditi. Ergo. Propositio desumpta est ex illo πολυθρονητων Genes. I. Vidit DEUS cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Assumptionis veritas manifesta est ex iis, quæ, de Creatione Angelorum, superius disputata. 2. Omnis Creatura DEI bona est. 1. Tim. 4, 4. Diabolus etiam creatura DEI est. Ergo. 3. Quicumq; per & propter lapsum non steterunt in veritate, ἀρχήν suam non servârunt, ἰδίων ἀικητήριον deseruerunt: eos aliquando in veritate fuisse, ἀρχήν suam habuisse, ἰδίων ἀικητήριον possedisse, necesse est. Quod enim non habui, non potui amittere. Atqui Angeli mali non steterunt in veritate Joh. 8, 44. ἀρχήν non servârunt, ἰδίων ἀικητήριον deseruerunt Jud. Epist. v. 6. Ergo Angelos malos olim in veritate steterisse, oportet. Et per consequens non sunt mali sed boni in primitivâ creatione creati.

2. Errârunt ergo Manichæi & Priscilianistæ, de quibus Leo Epist. 93 annotavit; eos sensisse, quòd Diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura ejus opificium sit DEI: sed ex Chao cum & tenebris emerisise: quia scilicet & nullum sui habeat autorem, sed omnium mali sit ipse principium atq; substantia.

THESES. VI.

Angelorum tres ordines & novem chori è Scripturâ non possunt probari.

1. Esse ordinem inter coelestes illos Spiritus, Scriptura vel Archangelorum mentione nos cogit fateri, sed quis & qualis sit ille ordo, nemo mihi è Scripturâ demonstrabit. Et si n. in Scripturâ extant hæ appellaciones Angelorum quod appellentur: Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, Archangeli, Angeli: nuspiam tamen ex illis talis inibi ἀγγελωτοξία τριχοχθῶν constructa cernitur. Ac sanè, si hac de re statuentum, ex Angelorum appellationibus: non novem saltem; sed adhuc plures eorum chori fingendi forent ex iis, quibus insigniuntur nominibus. Gen. 32, 1. Job 38, 7. Dan. 4, 13. Luc. 2, 13. Tandem quid inter voces illas (throni, dominationes, principatus & potestates) discriminis: non satis liquet, fatente Augustinò in Enchirid. ad Laurent. c. 58. Quid inter se distent quatuor illa vocabula: quibus universam illam societatem videtur Apostolus esse complexus dicendo: sive sedes, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, dicant qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt; Ego me ista ignorare confiteor.

2. Erravit ergo Dionysius, quem fabulantur fuisse Dionysium Areopagitam à Paulò conversum Act. 17, 34. qui hujus fanaticæ opinionis de distri-

distributione Angelorum, in Ordines & Choros dicitur autor. Is enim lib. 1. de celesti Hierarchia cap. 6. *ἱεραρχίας* illam Angelorum in tres *ἁγίων* vel *τάξις ἁγίων* distribuit, collocando in primam: Seraphim, Cherubim, Thronos. In secundam: Dominationes, Potestates, Virtutes. (Sed Gregorius & Bernhardus ponunt: Dominationes, Principatus, Virtutes.) In tertiam: Principatus, Archangelos, Angelos. (Gregorius & Bernhardus locò Principatum ponunt Virtutes.) Errarunt quidam Patres, qui in suis scriptis hujus Commentii meminerunt, veluti Origenes, Methodius, Nazianzenus, Chrysostomus, Gregorius Magnus, Damascenus & alii. Erraverant Scholastici, qui hęc nondum contenti, accuratiùs & specialius hos ordines descripserunt, ut meritò quis quærat, quam nuper sint de cœlò delapsi? Sed audiamus sultis illos *ἐπιθετύοντες ἐν οἷς ἂ μὴ εἶεν ἄρα*: Prima Hierarchia (inquiunt) attenditur penes scientiam & statum contemplationis in conversione ad Deū, qua consistit in cognitione, hinc Cherubim, in dilectione, hinc Seraphim, & quiete, hinc Throni. In secundā Hierarchiā respicitur vel ad perfectionem potestatis, vel ad officia. Perfectio potestatis consistit vel in presidendò, hinc Dominationes, per quas Angeli boni in suū officii diriguntur; vel in resistendò, hinc Potestates, per quas potestas Daemonum reprimitur; vel in operandò, hinc Virtutes, per quas Deus miracula & sanitates operatur. Respectu officiorum quidam præ sunt Angelis, hinc Dominationes: quidam boni hominibus, hinc Principatus: quidam malis Spiritibus, hinc Potestates. In terciā Hierarchiā, respicitur vel ad actionem ministerialem, vel ad infimum statum activorum: Actio ministerialis Angelorum aut est circa regimen Principū, hinc Principatus: aut circa regimen & custodiam multitudinis, hinc Archangeli, aut circa regimen & custodiam unius personæ, hinc Angeli. Status activorum consistit in operandò, hinc ordo Virtutum, quarum est miracula operari, vel in docendò majora, hinc Archangeli, vel in docendò minorā, hinc Angeli. Sic recenset D. Gerhard. in Tom. II. Loc. Theol. in Loc. de Creatione & Angelis.

THES. VII.

Angeli non sunt adorandi & invocandi.

I. Magna & multa Angelorum erga nos extant beneficia, ut non abs re quis quærat, num propterea invocationis honorem ipsis exhibere debeam? Respondeo, minimè. Non adoremus; sed colamus reverentiā & justò honore. Quod potest fieri, si non abjectiùs de ipsis sentiamus, quàm dignitas eorum admittit; siq; ea quæ illis displicent, omittamus; & quæ placent, faciamus: Displicent peccata; placent verbi meditatio, & Christiana ejusdem

B

Pra-

Praxis. Quòd autem Angeli non sint adorandi & invocandi, iterum argu-
 mentis è Scripturà deductis stabiliam. Quorum est 1. Si SOLUS DEUS invocan-
 dus, infallibili necessitate sequitur, quòd Angeli non sint invocandi. Atqui SOLUS
 DEUS invocandus est, attestante Scripturà Deut. 6, 13. & Matth. 4, 10. Ergo. 2. Si
 Scripturà ἀγγελολατρείαν superstitionibus, à quibus cavendum, accenset. con-
 sectaneum est quòd illa impia adeoq; summò studio averfanda: Sed verum est
 prius, Col. 2, 18. Ergo & posterius 3. Si ipsi Angeli se adorari prohibuerunt: pro-
 hibita utiq; est ipsorum adoratio. Sed verum est prius, attestante Scripturà Apoc.
 19, 10. cap. 22, 9. Ergo.

2. Erraverunt ergo Angeli patrè jam pridem Apostolorum tempore,
 orti, quos fugere hortatur Apostolus suos Coloss. 2, 18. Erraverunt in primiti-
 vâ Ecclesiâ quidam Patres, inter quos non postremus Origenes, qui & ipse
 Angelos invocandos censuit, & propositâ hac invocandi formulâ. Veni An-
 gele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, à doctrinâ demoniorum,
 ab iniquitate in altum loquente, & suscipiens eum quasi medicus bonus, confove
 atq; instrue: parvulus est, hodie nascitur senex repuerascens, & suscipe retri-
 buens ei baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministe-
 rii tui, ut cuncti pariter eos qui aliquando decepti sunt, erudiatû ad fidem. Er-
 ravit Radulphus Monachus Fuldenfis, qui claruit circa annum CHRISTI
 952. & negatus est: Angelos passos esse, se à Patribus adorari, donec CHRISTUS
 opus redemptionis impleverit. Tunc enim adorationem non amplius passos, cum
 intelligerent, naturam humanam tantî esse momenti, ut CHRISTI morte pro-
 pria redimeretur. Errant adhuc Romanenses, qui eundem, de Angelorum
 invocatione, errorem propagant & propugnant, tum quoad Theoriam, tum
 quoad Praxin. Theoriam quod attinet: notus est Bellarmini aphorismus: San-
 cti, sive Angeli sive homines, pie atq; utiliter à viventibus invocantur. Quan-
 tum praxin spectat: non in Litanis saltem conjunctim Angelos invocant,
 sed disjunctim etiam, peculiaribus quibusdam preculis, ad peculiare quos-
 dam Angelos directis.

THES. VIII.

*Angelicæ revelationes hodie expectare periculosum; petere
 illicitum est.*

I. Duo sunt hujus Theorematis confectaria, quæ decet ut è Scripturâ
 comprobem. Unum est; *Angelicæ revelationes petere illicitum est.* Quod af-
 sertum duobus syllogismis includo. Sit 1. Quocumq; pertinet ad religionem
 & in Scripturâ caret mandatò, exemplò, promissione, illud facere est illicitum.
 Atqui Angelorum revelationes petere, &c. Ergo. Dive epulo Luc. 16, so-
 licite petebat ab Abraham, ut ad suos fratres superstites & æquè securos
 mitte-

mitteret vel Angelum, vel animam sive beati sive damnati, qui eos à dissolutâ vitâ converteret: sed nolebat Abraham & respondebat: *Habent Moses & Prophetas, audiant illos.* 2. *Si Deus ipse nunquam nos oblegat ad revelationes Angelorum: sed ad Legem: ad Prophetas: & ipsa Scriptura nos in omnibus sufficienter potest instruere: sequitur quòd Angelorum revelationes petere sit illicitum.* Atqui Deus nos nunquam oblegat ad revelationes Angelorum; sed ad Legem *Jescha. 8, 20: ad Prophetas Luc. 16, 29: & ipsa Scriptura nos in omnibus sufficienter potest instruere. Tim. 3, 16.* Ergo. Alterum consecretarium est: *Angelicis revelationes expectare periculosum est.* Factæ sunt quidem angelicæ revelationes hominibus in instrumentò Veteri & initiò Novi, sed hodie illæ sicut & cætera miracula & extraordinaria Spiritûs Sancti donâ in Ecclesiâ confirmatâ desierunt, unde & hodie angelicas revelationes expectare periculosum est: Quod tali argumentò confirmo: *Si & ipse Diabolus se potest transfigurare in Angelum lucis, angelicas revelationes expectare periculosum est.* Atqui verum est prius, at testante Scripturâ *2. Cor. 11, 14* Ergo & posterius.

2. *Erravit ergo Cinglius, qui super genuinam significationem verborum in Cocnâ Domini, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, expectavit revelationem angelicam, ubi ei Angelus noctu revelavit, verba, Hoc est corpus meum, idem valere ac, Hoc significat corpus meum.* Sed ater an albus fuerit, ipse nescivit. *Errant Enthusiasta & omnes ii qui verbum Dei scriptum parvi facientes, immediatam revelationem à Spiritu Sanctò, vel à Angelis in angulis expectant.*

THES. IX.

Angeli mali in omnem æternitatem è supplicio gehenna non sunt liberandi.

1. Possit cui suboriri hoc dubium, quia Deus est infinitè misericors, numquam etiam vel tandem damnatorum Angelorum & hominum sit miserturus. Sed minimè. Ad hoc themation confirmandum afferro duo argumenta: 1. *Quibuscunq; paratus est æternus ignis, in quo sunt vinculis æternis sub caligine servandi: illi in omnem æternitatem è supplicio gehenna non sunt liberandi.* Atqui *Angeli mali & c. Matth. 25, 41. Jud. epist. vers. 6.* Ergo. 2. *Quicunq; infinitum Deum laeserunt, nec possunt eum placare, illos manet infinita pœna.* Atqui *Angeli mali infinitum Deum laeserunt, nec possunt eum placare.* Ergo *Angelos malos manet infinita pœna.* Et per consequens in omnem æternitatem è supplicio gehennæ non sunt liberandi.

2. *Erravit ergo Origenes, Iohannes Denkius & Pannonius Anabaptista, Libertini quidam, & alij, qui senserunt DEUM tandem omnium hominum & Diabolorum miserturum, ipsosq; ex infernò liberaturum.*


THES.

Diabolus neq; futura præscit, neq; illa prædicere potest: multò minus est κροδιον ψαγης.

1. Duo intelligo mihi iterum in hac ultimâ positione esse perstringenda. Unum est: *Diabolus neq; futura præscit, neq; illa prædicere potest.* Ut id quod res est fatear, dicam primo quid Diabolus præscire & prædicere possit, deinde quid non possit. Extra omnem controversiæ aleam positum est Diabolum quædam præscire & prædicere posse, & quidem 1. *Ex natura subtilitate.* Si enim homo præ cæteris sagacior potest aliquando futura quodammodo præscire & prædicere; cur non multò magis Dæmon. 2. *Ex temporum experientiâ.* Si enim vir prudens multarum & variarum rerum usu edoctus, potest quadantenus futura præscire & prædicere, cur non potius Dæmon. 3. *Ex Dei revelatione.* Si Deus ei, sicut & Angelis bonis & Prophetis aliquid revelet. *Potest ergo præscire & prævidere 1. ea quæ habent causas naturales, ut eclipses. 2. ea quæ sunt contingentia ad unam partem, ut mortem ex vulnere lethali, tempestatem futuram ex aëris constitutione, astrorum dispositione & inclinatione, & similia.* Hæc enim & Medici ac Mathematici probabiliter interdum præsciunt; magis Dæmon longè perspicacior hominibus, id poterit. *Non potest autem Diabolus, in quo cardo hujus Quæstionis vertitur, duo præscire & prædicere 1. quæ pendunt ab hominis arbitriò.* Solummodo enim ex temperamenti constitutione aliquid colligit. 2. *quæ Deus posuit ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξ ἑστιά.* Alterum membrum est: *Diabolus non est κροδιον ψαγης.* Cognoscit Diabolus cogitationes hominum malas quas ipse suggerit. Cognoscit hominum proprias cogitationes, quatenus ex signis, motibus, affectibus, gestu aliquo, aut similibus notis vel indiciis, qualitercunq; produntur. Si enim Medici quasdam affectiones animi per pulsum agnoscunt; quidni Dæmon, longè subtilioris intellectus & judicii Spiritus, subtiliter hęc conjecturari, ac solerter ex qualicunq; signo internum animi cogitatum rimari ac cognoscere queat. *Verum enim verò non cognoscit proprias hominum cogitationes, quatenus in se ipsis & intra animum sunt, sic enim solius Dei esse dicitur, corda & renes scrutari, 1. Schem. 16, 7. 2. Chron. 6, 30. Psalm. 7, 10. Ierem. 11, 20.*

2. *Errarunt ergo olim Gentiles, qui oraculum Delphicum, Ephesium, & alia, de rebus futuris consultarunt. Errant etiamnum enormiter ij omnes, qui Diaboli instrumenta, Magos, Sagas, Lamias, de rebus futuris interrogant. Atq; hisce coronidem huic Decadi Quæstionum controversarum impositam volo, nihilq; amplius addo. Sit autem*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.



quod facere haud potuissent, si non co
Respondeo, Angeli sunt naturá Spiritus
 Quod autem aliquando corpus (sive
 elementis, omnipotentiá DEI extrao
 pferunt, id factum est *ut ex corpore*, u
 runt formæ informantes, sed assistentes.
 miá istá peractá vel in nihilum, vel in id ut
Ast pergat qui, Angeli utiq; sunt corpore
 disse, ut Genes. 18, 9 & 19, 3, *Respondeo*, id
 revera non comederent: *vel ex dispensa*
 sumptæ: *vel non* quod esurirent, sed ut u
 rent. Quamquam cibus is non materialit
 turæ flammá absumptus. Atq; sic etiam
 quod Angeli non sint corporei.

2. *Errarunt* ergo Patres ij omnes, qui
 buerunt, è Græcis quidem, *Justinus*, *Tartar*
tinis, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Augustinus* &
 te Angelorum hunc in modum disserit:
ius opus corporibus habeant: illa maxime
vina sententia. Nonne omnes (air) admin
ministerium propter eos, qui hereditatem ca
dó impient ministerium suum absq; corpore
pore? Deniq; non est discurrere, nec de locó
quod frequenter Angelos fatere tam in dub
tas. Hinc est, quod & visi sunt Patribus: &
verunt. Serm. V. in Cantic. Cantic. Errant
Sacramentariæ locii, inter quos Zanchius
habere corpora, sed tamen præstantioris &
vel aër, vel cæli, qui è chaos fabricati sunt.

THESES. V.

Angeli in primitivâ creatio
 fuerunt conditi.

1. Angelos à Deo creatos esse, The
 omnes pariter boni, quis ambigat. Quem
 bit mihi probare hac Thesi, quod omne
 Confirmo ergo tribus immotis fundame
 tra *sextiduum illud creavisti ea omnia & sin*

inq; haberent.
 dependentes.
 ductum, sive ex
 flatum) assu
 is istius non fue
 n illud oecono
 , fuit redactum.
 in sacris come
 apparenter, cum
 omiâ formæ af
 revelationis late
 ab angelicâ ná
 s remotis, evici

lis propria attri
Macarim: è La
 i de corporeita
ercælestes Spiri
vera & veredi
as sunt: nisi in
uonam ergo mo
viventes in cor
re nisi corporum:
a probat autori
unt, & pedes la
uidam factionis
eritus: Angelos
antia, quàm sint

inter boniâ Deo

um dedi, sed an
 pulum, incum
 Deo sint creati
 cunq; *DEUS* in
 existere. Atqui
 Angeli

